

IN BATRACHOMYOMACHIAM HO-

MERI, MARTINI CRVSI PRAEFATIO.

Odyssæa nuper absoluta, & ita satis magno Iliadis Odyssææq; mari traiecto: nunc ad limpida quendam riuum declinabo: & quodammodo longæ nauigationis nauisam saluginemque abluam & abstergam. Is riuus, est libellus eiusdem Poetæ Homeri: qui in scriptus est βατραχομιομαχία, Ranarum & murium pugna. Vah (dicit aliquis) quid nobis cū fabula, pueris ab illo composita? Quid cū Ranis & murib. quibus sermo & actiones humanæ non conueniunt? Cur non etiam Æsopi fabellas nobis proponis?

Explicabo
βατραχομιομαχίαν.

Ego itaque, humanissimi Discipuli, ostendam, nec prolixè, me non malè facere, qui hūc mihi libellum explicandum sumam. Ac primum quidem, de Fabula generatim agam, deinde, de proposito libello speciatim. Vos me, quæ uestra erga me charitas est beneuolè attendite.

In quo reprehendi non debeo.

Ac principid, quod generatim ad fabulam attinet: sciendum est, eius cognitionē, & interdum (in tempore & loco) usurpationem, esse honestam: nec reprehendendā, tanq̄ homine, aut etiam sapiente, indignam. Loquor autem de fabula, ingeniosè & grauitè conficta. Vnde honestas & dignitas eius probari potest? Quod est εἰκονισμός quoddam ἀληθείας. id est, repræsentatio quædam, ceu pictura & imago ueritatis. Quantum autem bonum sit ueritas, quæ tæ eius laudes: nō est huius loci, prolixè explicare. ἀπλὸν γὰρ τὸ ἀληθές: simplex est uia & oratio ueritatis: τὸ ἡ ψεύδος, πολυαχολές: Mendacium in multas uias, seu potius errores, scissum est. Nam etiam τὸ ἀγαθὸν bonū, est simplex: sed τὸ πονηρὸν, malum, multiplex. Philosopho proposita est ueritatis indagatio: ueritatis, tum θεωρητικῆς, in contemplando positæ: tum πρακτικῆς, in agendo uersantis. Studium enim eius, περὶ τὰ ἀεί καὶ ἰσαύτως ἐχούσε est, id est, in rebus, quæ semper sunt, & se eodem modo habent, in rebus contemplationi subiectis. ἐν τοῖς πρακτικοῖς etiam in actione & uita, licet in ijs magna diuersitas sit, rem ad stabilem ueritatem adducere conatur. Veritas, est ipse Deus. Non enim Deus est is, qui non æternus sit: aut qui mentiatur, ut homo. Et summa est ueritas uerbi Dei, & doctrinæ Euangelicæ: quia prostrauit ea idololatriam Gentium: non ualentibus resistere ne doctissimis quidem philosophis, & oratoribus eloquentissimis. Tam præclara res est ueritas: tanquam homo aliquis, animo & corpore perfectissimus, ac pulcherrimus. Ueritatem autem, tanquam talem hominem, depingit Fabula: quia dicitur à doctis Græcis, ὅτι εἰκονίζει ἀληθείαν: quod εἰκόνα, imaginem, effingat ueritatis. Faciunt hoc Ethnici scriptores: tum in ijs, quæ in agendo uersantur: tum in illis, quæ in contemplando: seu Diuina sint, seu humana. Nec Fabula, uilia continens, ideo reijci debet: quod pictura, & non res ipsa, sit. Nam ipsam rem, quæ non semper à nobis haberi præsens potest, imago quasi præsentem facit: & sæpe pictura plus delectat, quàm res ipsa. Draco uiuus, bestia terribilis est: & pugnam uidere equitis cum Dracone, spectaculum timoris sollicitudinis quæ plenum esset. Sed pugnam S. Georgij, uirginem à Dracone defendentis, & liberantis, artificiosè effictam, cum uoluptate spectamus: & talis etiam uoluptas minimè inhonesta est. Ideo in Georgij Pachymeræ Historia, quidam inquit, Fabulatorem me esse dicetis: sed Fabulæ, quæ ad ueritatem alludunt, laudantur. Quoniã igitur ueritatem pingit, & quodã modo repræsentat, Fabula: inhonesta res non est: præsertim, quia signū est etiã doctrinæ & experientię rerum. Vnde lib. 2. Rhet. τὸ γνωμολογεῖν, sententiōsè loqui: & τὸ μυθολογεῖν, fabulã narrare Aristoteles coniungit: & utrunq; ἀρμόττει ἰλιμῆα μὴ προϊύμενοις: περὶ ἧ τάτων, ὧν ἐμπειρὸς τις, ait: hoc est, conuenire senioribus, & rerum experientiã habentibus: sed inexpertis, utrunque ἀπειρῆς esse. Nemo certè γνώμας, sententias uniuersè, dicere potest: nisi in rebus, de quibus γνωμολογεῖ, uersatus. Si autem illarum rerum imperitus, tamen aliunde γνωμολογεῖ: non perinde habet auctoritatem. Sicut, quando adolescentuli interdum, uniuersè aliqua, de uita & moribus pronuntiant: non curantur semper à natu maioribus: quomodo & doctissimus quondam philosophus Ephesi, nomine Phormio: quãquam præclare de rebus bellicis dixisset: tamen ab Annibale derisus fuit: quod ipse omnis belli expertus, apud se rei militaris peritissimum, de ea dicere ausus fuisset. Nemo Fabulas, in quibus diuersos animantes, inter se colloquentes, aut aliquid humani facientes, introducat, artificiosè componere potest: nisi

Primum, probatio à Fabula in genere. 1. Quia est honesta. Est pictura ueritatis.

1. Ethic. Nicom. 3. Num. 23.

lib. 4.

Est signum eruditionis & prudentiæ.

Cic. 2. de oratore.

Aphthon & Philostrat.

Theodoret. προνοίας λόγω δ.

cap. 21.

384 In Batrachomyomachiam

ταῖς φύσεσιν, καὶ τὰ ἔθνη, naturas & mores, illorum animantium calleat: ne quid *καρπὲ τὸ κρητόν* affingat. videbimus suo loco, quā *κρητόντας* & aptè, Homerus Ranis & muribus suis, *ἰδίαι* sua, tum in rebus, tum in uocabulis, attribuat. Id autem, eruditionis diligentiae non vulgaris est. Si itaq; doctrina, & experientia rerum, res honesta est: cum hæc utraq; à Fabulis artificiosis nō absit: eas quoq; rem honestam esse, necesse est. Ideo, ne Æsopi quidem Fabellæ, reijciendæ sunt: quæ Aphthonius, *καὶ τὴν ἕριτα συγγράφει τὰς μύθους*, omnium optimè cōscripsisse Fabulas ait. Et Philostratus, *ὅτι λοιμυνοῖτες οἱ μῦθοι διὰ τὴν αἰσθητικὴν φησὶ τῶσιν ἡδὴ τὰς θύρας ἔσφον: ταυτίαι αὐτὴ ἀναδύσσοντες, καὶ στεφανώσσοντες αὐτὴ βαλλὰς ἑφερέτω*. Id est, In precid sunt Fabulæ propter Æsopum: & fōres accedunt Sapientis: fascijs eum redimituræ, & oleagina corona ornaturæ. Ad hæc, in Rhetoricis, & in eloquendi facultate, plurimus vsus est bonarum Translationum, seu Metaphorarum: tanquam, quæ interdum necessarie sint: ubi scilicet verbum proprium deest. Sæpe autem, plus emphaseos, siue significationis, habeant, quàm propria verba. Non raro etiam ornandæ orationi, tanquam stellæ, immisceantur. Et Metaphora autem, ascendēdo *εὐωπὸν* nascitur: ex Icone, *ὁμοίωσις*, Similitudo: ex qua rursus descendēdo, Allegoria, Ænigma, Fabula. Metaphora est cum dicitur: Tyrānus est leo. Icon, seu imago, cum particula ad Metaphoram accedit: ut, Tyrānus est, ceu leo: aut, Tyrānus est similis leoni: similitudo, cum Icon *πρόσεται ἀποδώσει* explicatur: ut, sicut leo asinū discerpit; quod prædā partam in tres partes æquales diuisisset: vulpi autē pepercit, quod omnes illas partes leoni adiudicasset, sibi minimū quiddam retinens: ita Tyrannus eos odit, & è medio tollit: qui in aliqua re se illi æquales esse debere putant: tantum autem assentatores, omnia illi cedentes, retinet. Allegoria, & Ænigma, & Fabula, similitudinis tantum *πρότασιν* habent, *ἀπόδοσιν* omittunt. Ut, si de Abimelecho, in lib. Iudic. qui fratres suos 70. regnandi causa occidit: & alijs multis Israelitis mortem intulit, dicatur: Leo iste plurimos asinos discerpit, ne partem cum ipso haberent. Aut, Rhānus, Regno in arborēs rogatu eorum accepto, plurimas de ijs compunxit, & absumpsit. Est enim Allegoriæ species, Ænigma, ipsa obscurius: & utrunq;, quiddam simile rei propositæ habet: id est, *πρότασιν*, priorem partē similitudinis. Sicut etiam Ioathamus, qui vnus effugerat manus illius Tyranni, Fabulam, seu Ænigma, de arboribus, Regem sibi præficientibus, in Abimelechum aperte detorquēs *ἀπόδοσιν* facit. Dico ergo iam, si laudabile sit: aptè, in loco & tēpore, uti Metaphoris, & ijs omnibus, quæ ex Metaphora ortum habent: etiam dextrū & tempestiuum Fabularum idonearum vsus, laudandum esse. Ideo Fabulas non esse, ut rem puerilem contemnendas. Nam etiam somnia quædam commendantur, ut diuinitus immissa: qualia fuerūt Pharaonis, quæ Iosephus: & Nebucadnezaris, quæ Daniel, iuuenes pij sanctissimiq;, interpretati sunt. *ὄνειψίων* verò, somniorum, *μετὰ* quædam, particula (quanquā minima Fabulæ à Synesio perhibetur. Somnia autē, etiam similitudinem cum re, quam significant, habet: aut aliquod rei antecedēs, vel consequens: sicut ex his, suas somniorū interpretationes Artemidorus, *ὁ ὄνειφοπέτης*, sumit. Ita Iosephus, septem boues pulchrē linquit, & septem spicæ plenę septem vberis annonę anni sunt: septem boues macilentę, & totidem spicę tenues, septem anni venturæ sunt famis. Nonne hęc similitudo apparet, sicut etiam in Metaphoris, & Fabulis: præterea, tāta honestas est Fabulæ: ut ne philosophi quidem, qui veritatis inuestigatores sunt, eas reijciant, nec ab oratoribus excludantur: nec à poetis abesse possint: nec à Christianis quidem prorsus fugiantur. Quantus philosophus, Plato? quātus Aristoteles? Apud illum, in Phædro, Fabula cicerarum est: in Protagora, Promethei & Epimethei. Apud Aristotelem autem, in Rhetoricis, ex Stesichoro, Fabula de equo, hominem super se ob ceruū vlciendū recipiente: & ex Æsqpo, fabula de vulpe in vallem delapsa, & herinaceo, utraq; suauissima: prolixè exponitur. Quātus, orator, Demosthenes? quātus, Cicero? Recitauit ille fabulā de lupo; canes sibi ab quibus dedi petente: Hic verò, Fabulā Furiarum, Orat. pro Sex. Roscio Amerino, & in Pisonē, interpretatus. Quantus poeta, Homerus? Quātus Virgilius? Vterq; sua Heroica multis Fabulis exornauit. Et inter sex partes Tragædię, quas Aristoteles libro *πρὸς ποιητικὴν* facit, principem sibi locum *ὁ μῦθος* vendicat. Imò poësis, non est vera poësis, nisi *μῦθος* habeat: ut etiā Eustath. Homeri interpret, ait. Quanta excellētia & dignitas est S. literarum? In ijs exactissima veritas est. Et tamen saluator, quot parabolas, siue similitudines, ponit: quibus veram nobis ad æternam salutem viam monstrat? Non vititur quidem Fabulis Dominus, sed tamen similitudinibus vititur. Et antea ostendi cognationem inter Fabulam & similitudinem. Atque ipsæ quoque *παραβολαί*, primo aspectu *μυθολογίαι* quiddam habent, Fabulis similes sunt, aut certè *ἀλληγοῦμαι* continent.

vel eius
vosp.

Est in Rhetoricis
& oratoribus
funda-
ta.

cap. 9.

vel eius.

Est philo-
phis, orato-
ribus poe-
tis, commē-
data.
lib. 2. cap.
20.

cap. 6.

pag. 1952.
Nosas. lite-
ris exulat,
& Christi-
anismo.

Et Christiani, sub Figuris, imò Fabulosis picturis, quædam in Ecclesia adumbrarunt: ut, quòd S. Georgium, uirginis Regiæ è faucibus Draconis liberatorem: quòd S. Christophorum, Christi per Mare baiulum, fecerunt. Quæ illa, Christi, qui Ecclesiam ex ore Diaboli eripuit, imago est: hæc autem, confessionem Christi, in persecutionibus usurpandam: & per omnes ærumnarum fluctus, patientiam portandam esse, innuit. Cui igitur Fabula, ueritatis imago, aut umbra, sit: cum doctrinæ, & experientiæ rerum, proles sit: cum in Rhetoricis fundata, & in eloquentia nixa, sit: cum à Philosophis, Oratoribus, poetis, usurpata, nec ab Ecclesia remota, sit: satis apparet, quanta eius honestas & dignitas sit.

Dicamus nunc etiam aliquid de eius utilitate; cum qua suauitatem quoque coninn- gemus: licet utraque exijs, quæ iam dicta sunt, aliquo modo, etiam me nihil amplius dicente, intelligi possit. Utilem itaque esse, & iucundam, ex Definitione eius patet, qua dicitur: *μῦθος ἐστὶ λήθη ψευδῶς εἰρηνίζων ἀλήθειαν*: Fabula est oratio falsa, imaginè exhibēs ueritatis. Falsa est & sæpe absurda, *παταὶ τὸ ἔσω, καὶ τὸ σῶμα*: externa specie, & uerbis, quæ eius quasi corpus, aut uestis, sunt: ut, quòd gallus gallinaceus gemmam, in finio repertam, alloquitur: aut, quòd uulpes & rubus inter se colloquuntur: cum illa hunc auxilij causa apprehendēs, ab eius aculeis læsa esset. Vera cōtrā est, *κατὰ τὸ ἔσω, καὶ τὸν γῆν*: interno sensu, uelut animā corpori inclusa: quo sensu apprehenso, animus intelligentior fit, & uoluptate afficitur: ut, cum gemma Galli significat: doctrinam & sapientiam, nihili apud homines barbaros fieri: rubus uerò, non esse opem ab eo petendam: cuius natura sit, æquè in omnes iniuriam esse. Itaque Fabula, ad ueritatem allusio est: quæ ueritas (ut Cicero inquit) maximè naturam attingit humanā. Omnes enim trahimur & ducimur ad cognitionis & scientiæ cupiditatē: in qua excellere pulchrū putamus: labi autē errare, nescire, decipi, & malum & turpe ducimus. Hæc, ille. Si autem ueritas, maximè naturam attingit humanam: & natura est conseruatix sui: seipsum uerò conseruare, utile est: etiam ueritas utilis est: & proinde Fabula quoque, ad ueritatem introducēs. Nisi ueritas esset: nihil certū esset in rebus humanis: nihil nec publicè, nec priuatim, rectè geri posset. Nisi ueritas esset: uia in cælum nulla pateret: actum de salute animorum nostrorū esset. Itaque ueritas, tum diuina, tum humana: tum *θηωρητικῆς*, tum *πρακτικῆς*, necessaria est. Quocirca etiam Fabulæ sapientes, quæ ueritatem pingunt, utiles sunt: quia docent salutari præcepta: tum Ethica, tum Oeconomica, tum Politica. Ethica: ut, cum canis rapuisset cor è culina: coquus ait, sibi non ablatū esse cor, sed potius datum. Ibi innuitur, sæpe hominibus *τὰ παθήματα γίνεσθαι μαθήματα*, no cumentā fieri documenta: quod est cautionis & prudentiæ. Oeconomica: ut, cum mulier, gallinam, quotidie ouum parientem, spe lucri maioris subijciens plus hordei, sterilem fecit: significatur mediocribus commodis hominem debere contentum esse: ne, dum plus iusto appetat, etiam, quæ habet, amittat. Politica: ut, cum caprea leonem uideret, ira indecorè se herentem: ait, ò miseram sortem bestiarum. Si enim mentis compos, intolerandus est leo: quid fiet, eo insaniēte? Ostenditur, qui cum potestate est, non debere uinci irā, sed clementem esse. Parabolæ uerò Saluatoris (qualis est de Rege, filio suo nuptias faciente: & multos inuitate, ingratos tamē: pro quibus postea miseros multos inuitauit: eū uerò, qui ueste nuptiali carebat, eiecit) nos de misericordia Dei erga genus humanum, & de filij missione, ac de modo recuperandæ salutis, docent. Fabula itaque, dum monet nos: quid facere, quid omittere debeamus: dum aliorum experientiam & doctrinam nobiscum communicat: dum etiam, ingenia & proprietates animantium indicat: dum item ne ab animorum quidem nostrorum salute abhorret: perutilis est. Nisi enim sic esset: non habuisset locum, nec apud philosophos, nec apud Oratores: nec excellentium poematum quasi fundamentum esset: nec Christus ipse, parabolis usus fuisset. Sunt etiam quædam *θηῶν*, receptaculum ueritatis: sicut suauis odor, & salubris uigor, rosarum, & aliarum præstantium plantarum, in ipsa his corpusculis & stirpibus, tanquam in uasculis quibusdam, à Deo indita continentur. Sub Fabulis quoque, ueteres sapientes, utiles doctrinas, quas non ab omnibus sciri uolebant, ne contemnerentur, occultarunt. Ea propter, Fabularum Poeticarum explicationes, quæ *μυθολογίας* uocant, à compluribus scriptæ sunt: de quibus palæphatus Parius, Heraclides pōticus, & phurnutus, extant. Quod certè hi doctissimi uiri, facturi non fuissent: nisi, magnas Fabulis subesse utilitates existimassent. Dominus etiam ait: Discipulis suis datum esse, nosse mysteria Regni cœlestis: alijs autem, ingratis uidelicet, datum nō esse. Ideo Discipulis parabolā, quā de Agricolæ semēti dixerat, interpretatur.

2 Quia utilis & iucunda.

Est utilis.

Quia pictura ueritatis.

1. Offic. 6.

Quia instruit præceptis uitam.

Quia animæ quoque prodest. Matth. 22.

Quia doctiores nos facit.

Quia abscondita mysteria Matth. 13.

2. de Repub. Verum, ut non quæuis somnia, aliquid utilis significationis, habent: ita nec omnes Fabulæ. Ideo nec Plato quasuis Fabulas pueris narrari, sed tantum utiles, uult: ne in tenera ætate imbibant opiniones: quas postea maturis annis, tanquam uero & bono contrarias, abijci rursus oporteat. Apud Ethnicos enim, ueræ pietatis cognitione destitutos, certis quibusdam Fabulis erudiebantur ad uitæ officia pueri: sicut φιλόσοφος ait, ὅτι αὐτῶν τὰ παιδία γίνονται μαθητῆς τῆς βίης προαγμάτων. Nec utilitatē tantum habet Fabula: sed etiam delectat, non secus, quam somnijs quibusdam mirè delectamur. Nec mirum. Est enim Fabula εἰκόνισμα (uti diximus) ἀληθείας, εἰκὼν, imago, est pictura rei aut animalis alicuius. Quanta uerò, voluptas, ex imaginē artificiosè picta: non aliter, quā è suauissima cantilena musica? In utraq; enim, συμμετρία & ἀρμονία, proportio & concinnitas est. Res autem quæ Fabulis pingitur & efformatur, est illud, quod ἐπιμύθιον, uocatur: hoc est, γνῶμην, aut locus cōmunitis. Imago, qua res ipsa pingitur, seu quodammodo repræsentatur, est ipse μῦθος. ut, Res est: Hominum magni labores, sæpe ipsis non profunt, sed ab alijs deuorantur. pictura est: sicut leone & urso, in cōtentione de hinnulo defatigatis: hunc inter utrumq; intrando, uulpecula rapiens, aufugit. Delectatur puer, hoc audiens: quia facillè rem intelligit, & firmitus meminit. Quamquā apud nos, quibus diuino beneficio uera Religio patefacta est, rectius multo pueri in Elementis Christianæ pietatis, in catechismo contentis, initiō instituantur. Postea uerò, cōmmodè quoque Fabulas Æsopi, Græcæ & Latinæ linguarum non tantum rerum, causa, discunt. Satis de utilitate & delectatione Fabulæ dictū: propter quam minimè reijci, aut despici, debet.

3. Quia facillimè.

Ad intelligendum.

Ad memorandum.

18. Probl. 3.

Deinde, probatio ab ipsius huius libelli genere, me reprehendendum non esse.

1. Honestas huius poematij.

Argumentum eius.

Adiungam etiam breuiter de facilitate: quamquā modò iam eam attigi. Cōmendatas aio nobis esse debere Fabulas honestas & utiles, etiam hac de causa: quod sunt συνόμοι, facile intelliguntur: non modò, quia breuibus narratiuiculis absoluuntur: sed quia etiam res ualdè notas & uulgares (sicut Historiarum quoq; intelligētia, quia rerum popularium facilis est) continent. Itaque philosophia quædam, non quidem νοῦθος, sed αἰσθηθῆς, sunt: non sententijs uniuersalibus, & sæpe obscuris, constans: sed particulari quadam imagine, ut diximus, καθόλου quiddam, aut quasi, καθόλου inueniens. Itaq; ibi tantum ὀρθῶς διδάσκει rectæ sententiæ de rebus, & τὸ ὅτι, pueris & rudioribus instillantur: earum uerò ἀποδείξεις demonstrationes, & τὸ διότι in philosophia θεωρητικῆ καὶ πρακτικῆ traduntur. Deinde, ideo quoque Fabulis suis honos debetur: quod sunt συνυμνησθησῶν, facile memoriæ mandantur, facile etiam memoria retinentur. Quæ eius rei causa est? Quia quiddam ὁμοιοῦ, simile, rei propositæ habent: quod διὰ τὸ συνέγγον, propter uiciniam eis μνήμην καὶ ἀνάμνησιν, ad memoriam & recordationem, facilitatem præstat. Astipulatur sententiæ nostræ, ingeniosissimus & accuratissimus philosophus Aristoteles: qui causas in problematum libro quærens: cur magis Exemplis & Fabulis delectentur homines, quam Syllogismis & Enthymematis, tres adfert causas. Quarum una est τὸ μακροτέρη, καὶ τὸ ταχύτερ: quod Exempla, & Fabulæ, quia μακρὰ, magis & citius intelligantur: quam Argumentationes illæ philosophicæ, quia καθόλου: & proinde à sensibus remotiores. Facilius autem ediscuntur, & retinentur, quæ intelleximus: quæ, quæ perplexa & obscura sunt. Neque uerò hoc ita dico: tanquam à καθολικῆ philosophia abstinentium censeam: sed ei quoque, & multò magis suis locus, sua ætas, sua ingenia, quæ capere possunt, debentur. Altera causa est, quod citius & facilius fidem ijs adiungimus quibus plures, tanquam testes, assentiuntur. Exempla autem & λόγοι, seu fabulæ, testimonijs similia sunt, & citius creduntur. Tertia causa, quod hæc ὁμοιοῦ, similitudinem, cum re præsentem habent. τὸ δὲ ὁμοιοῦ, discitur cum uoluptate, & citò: recordatumq; est facilius.

Dixi hactenus generatim de Fabula: cōmédans eam ab honestate, utilitate, iucunditate, & facilitate: ut ita demonstrarem, non malè à me fieri: quod βατράχομομομαχίαν Homeri, interpretandam uobis sumam. Accedo nunc ad ipsius huius libelli cōmendationem: ut, si eum quoque honestum, utilem & iucundum esse probauero, minus in susceptione explicationis eius, iudicio lapsus esse uidear. Vos, quæ humanitate me adhuc audiistis, humanissimum Discipuli: de hac quoque parte, nec id prolixè, nec iniucundè, dicentem audite, quæso.

Ac primum, quantum ad honestatem, sciendum: mentionem huius poematij apud Herodotum fieri, ubi vitam describit Homeri. Eum, cum cæcus esset, uenisse ad caprarium quendam, Glaucum nomine. Ab eo benignè exceptum esse: & ad chium, caprarij herum deductum, placuisse: ὅς τις εἶδεν, καὶ πολλὰ μὲν ἔμαθεν, ab eo, suis liberis pædagogum præfectum esse. Ibi inter alia, etiā τὸν βατράχομομομαχίαν cōposuisse: cuius argumentum breuiter hoc pono. Psicharpaga murè, cum sitiens ad plaudè uenisset: à Rege Ranarum phisignatho, comiter hospitio exceptum esse: multum de suis delicijs glorientem, licet periculo expositis.

Postea

Postea uerò, natrice cōspecto, in discrimine destitutū, in aquis perisse. Quo interitu miribus nuntiato: ab his, instigante pſicharpagis mortui patre Troxarte, bellum ranis cupidè illatum esse: cui non minus fortiter, physignathi cohortatione, obuiam iuerint Ranae. Deos, neutris auxiliâtes, spectasse pugnam: in qua, multi fortissimi bellatores utrinque occubuerint. Tandem uerò, victoria ad mures inclinante: Iouem, postquam fulmē nequicquam iecisset, cancris immisisis praeliū diremisſe: victoria iam magis ranis fauēte. Unde apparet Honestas huius Fabulæ: quod à viro doctissimo, multarum rerum experientiam habente, Homero, composita fuerit: quod ob liberos heri sui rectè instituēdos: quod argumento honesto, utili, & suauis: sicut postea cognosceris. Et ita comēdabilis est hæc Fabula: ut eodem aliquantum modo, post multa secula, à principe Fabulationis Æsopo, cūm ad necem à Delphis duceretur, recitata fuerit. Homerus enim, amplius CIO. annis, Æsopus autem IO. tantūm, ante Christum natum, uixerunt. Inter se, inquit, mus & rana, iure hospitalitatis inuito, ad mutuas epulas inuitarūt. Hortatu ranæ postea, mus pedē suum pedi illius alligandum præbuit: ne sc. natando defatigaretur. Sed cūm, rana profundum petente, mus suffocaretur: uindictam à maiore fore dixit. Tunc aquila deuolans, mure arrepto, unā ranā appensam rapuit: & sic utrūque deuorauit. Et partim *ἠθικὴ* est nostra Fabula: quod bestiolæ hæc inter se colloquētes: partim *λογικὴ*, quod Dij consultātes, introducuntur: quod genus, ita ex utroque constans, *μυθῶν* appellatur. Et hoc modo, sermone humano, & personis diuinis, hoc poemation *ἑστεινωμένον*, honestius & grauius factum est.

Simile apud Æsopum *οὐδὲν*.

Iam quod ad utilitatem attinet: certum est, id non modò pueris & adolescentibus, ad linguæ Græcæ cognitionem conducere ampliorem: sed natu etiam maioribus, ad rerū doctrinā, & prudentiam ciuilem, prodesse. Noli tu, quis quis es, curare nomina animalculorū: sed ipsas res inspice: quæ, nihil refert, siue sub *λογικῶς* animalibus, siue sub *ἁλόγοις*, innuantur. Finge, esse homines, esse Reges, esse consiliarios, esse *πολιτικῶν* humanam. Inuenies ibi *ἠθικὰς* doctrinas, *οἰκονομικὰς*, & *πολιτικὰς*. Delibabimus talia quædam, exempli causa.

2. utilitates eiusdem

Vbi inter Ranam & murem hospitalitas initur: docemur, inæqualium amicitias non bene cedere.

à varijs doctrinis.

ὅς ἦν ἐστὶ λίσσι καὶ ἀνδράσι μῆτιν ἀριστερῶν.

Non bene: conueniunt homines pacto, atque leonēs.

Iliad. 221

Vt, si Iudæi olim ab Ægyptijs, hodie Christiani aliqui à Turcis, auxilia petant. Sic Græcia hodie, sub Turcarum dominatu est: dum hi quondam auxilio à Græcis contra alios uocati: Græciæ delicijs & ignauia illecti, postea ex Asia tantis copijs in Europam trāsierūt: ut, munitis locis occupatis, paulatim totum illud Imperium subegerint. Vbi mus de felicitate sua apud Ranam gloriatur: ostenditur, rebus secundis inflari animos. Item, ubi insidias, quæ sibi fieri soleant, exponit: discimus, nullam felicitatem in terris perfectam inueniri. Idq̄o nec voluptatibus metiendam esse felicitatem. Præterea, valde indecorū esse: si quis aduena apud hospitem suū, se & sua iactitet. Talem, etiam *ἐπιβραβεύοντα*, deceptu facilem esse. Superbiæ denique non succedere bonū exitum. Attamē, vbi Rana murem in periculo abijcit: omnino uiciosum esse significatur: eum prode, aut deserere, periculo oborto: quem semel hospitio, aut in fidem tuam, receperis. Laudabile enim, hospitalitas est: sed nec, qui recipitur, superbè se gerat: nec, qui recipit, non tueatur in discrimine, quem recepit.

Esa. 36

Vbi postea murium gens, bellum propter pſicharpagis interitum Ranis infert: cūm ea mors, *ἀκρίσιος* iudicari potuisset: quod physignathus, non sua uolūtate, sed metu mortis, quæ à natricis superuentu imminēbat, hospitē neglexisset: videmus, sæpè magnas calamitates vitari posse: si ira & cupiditas uindictæ, absit. Ideo magnæ prudentiæ esse, interdum dissimulare iniurias acceptas: magnum bonum esse, priuatim & publicè vtilē, paciētiam, & pacis studium. Hoc si antiquissimo tempore, Atridæ & Græci cogitassent: non extitisset bellum Troianum: propter vnā improbam mulierculam, Europā & Asia annis infestis cōcurrente: nō tot principes utrinq̄, & fortissimi Heroes, perissent: non conspicerentur etiamnum hodie, post amplius bis mille & septingentos annos, ruinae & rudera Troianæ urbis. Ideo rectè apud Herodotū dicitur: *τὸ μὲν ἀρπαξάντων γυναικας, ἀνδρῶν ἀδίκων ἔργον εἶναι: τὸ δὲ ἀρπαξάντων ἀνδρῶν ποιεῖσθαι τιμωρίαν, ἀνδρῶν τὸ δὲ μηδενίαν ὄφελος ἔχειν ἀρπαξάντων, σωφρόνων. Διὸ λέγει δὲ, ὅτι, εἰ μὴ αὐταὶ ἐβλάπτο, ἢ αὐτὴν ἠεπάροιντο.* Id est: mulieres rapere, iniustum: raptum earum uelle vlcisci, stultum: raptas non curare, prudentiæ

Lib. 1.

K 2 &

& temperantiæ esse. Non enim rapras fuisse, nisi ipsæ uoluissent. Nunc sæpe non grauib. de causis, cruenta bella suscipiuntur: ac non raro.

Iliad, 9.

ἀμφὶ σούτῃ κεφαλῇ, καὶ δέσμασι λαχρῆσιν:

Apri de capite, aut uillosa pelle, geruntur.

Rursus & hoc animaduertimus: Deum, quādo peccata & scelera hominū punire velit: sæpenumero leui aliqua causa & improuiso, excitare bella. Præsertim autem Iouis F. Minerva, mures & ranas odit: illos, quod suas uestes perrodant: has, quod coaxatione caput suum obtundant. Odit nimirum sapientia veri Dei (licet eum Homerus non nouerit) mures rosorēs: hoc est, fures, raptōres, impostores: uestem ipsius pulcherrimā, nēpe Decalogum, lacerantes. Odit ranas: id est, τὰς ἢ ὄχθῃ βίον διαίοντας, humidā vitam cōstantes: scilicet helluones, & ebriosos, & blasphemos: cælum suis bacchicis clamoribus, & horrendis maledictis, tundentes. Luxum deniq; libidines, & diuini numinis cōtempnū, odit: ac grauisimis pœnis, cum alijs, tum bellorum tempestate, punit. Sicut poeta canit:

Georg. 1.

Quippe, ubi fas uersum, atq; nefas: tot bella: per orbem.

Tam multæ scelerum facies: non ullus aratro

dignus honos: squalent abductis arua colonis:

et curuæ rigidum falces constantur in ensem.

Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum:

Vicinæ, ruptis inter se legibus, urbes,

arma ferunt. Sæuit toto Mars impius orbē.

Vbi deinde, priore loco calamitates suas, quas trium filiorū amissione acceperit, Troxartes *παθήσαντος* commemorat: deinde consequens demum infert, bello persequendas Ranas esse: exemplum oratoricæ argumētationis habemus, illius generis, quod inflexū appellatur: cuius natura est, prius sumere, quæ uelis: nec tū argumentari, quā motum animi afferre: nondum indicando, quid efficere uelis: postea uerò, animis iam permotis conclusionem inferre: tum demum animi propositum aperiendo. Quod Cicero, cōclusionem ad extremum iacere, uocat. Obedientiā deinde ciuium erga suos magistratus, ad arma uocantes, ponitur: & armaturæ, ad bella necessariæ, descriptio: atque in ipsa pugna militaris fortitudo.


Ad extremū sicut excitat bella Deus, ob punienda peccata & flagitia: ita his punitis, reliquorū miserens, & eis parcens, bella idē rursus cōponit, pacē restituens. Cui iā placet: is quærat alicubi hinc etiā *ἀλλυγορίας*, aut ueras Historias, huic Fabulæ non dissimiles. ut, qui Christum tēpore pacifico, hospitiō excipit: Postea uerò, persecutione oborta, abnegat, aut dissimulat: similis est ranæ, quæ murem hospitiō excipiens: Postea natricæ superueniente, eum suffocari in palude patitur. Talem, diuina uicio sequitur. In vrbe quadam Germaniæ clarissima, ante CX. annos, Canonici duo consulem illius urbis, ad conuiuū specie quadam humanitatis uocarunt. deinde, improuiso eum ad leonem immiserunt. Voluerunt enim virum perdere: quod Episcopo, urbis imperium affectanti, obsisteret. Consul uerò, pallium sinistrae manui circumuolutum, in os occurrentis leonis immisit: eoq; dextra confosso, euasit. Tunc à Senatu illi duo, ad cathedralem Ecclesiam fuere suspensi. Ea propter, Episcopo diu cum ciuibus bellum gerente: ipsi clauēs urbis in campo ponentes, pro eis prelio dimicarunt cum Episcopo: quo & superato, ipsi suas clauēs cū libertate reportarunt. sed de utilitate Batrachomyomachiae, satis. Quam uerò suauis ea sit: ipsa per se ubiq; clarū facit: siue sententias, siue uerba, spectes. *Ἐννοια γλυκύτατα* (inquit Hermogenes) *πᾶσαι καὶ μυθολογίαι*: Sententiæ suauis, sunt omnes, quæ fabulosæ sunt. Deinde in specie quod *ἄθος καὶ δάκρυμα*, conuenientes mores & sermones muribus & ranis attribuantur: quod suauiter deridetur iactantia psicharpagis: quod Dij introducuntur, tanq̄ in re maxima: quod ridicula arma, probabiliter, utriq; animalculorum generi affinguntur: quod Minerva in utrinque genus inuehitur. *λέξις ἠδελία*, ἢ *πρωτογενή* καὶ ἢ *λατὸς διαλέξει* *Ἐπιπέδι* ἢ *Ἔκω* *Ἐμορ* *ὀνομασίων*. Dicitio suauis, poetica per se est, & Ionica Dialectus, & ipsa nomina propria: in quibus est *δαινότης* καὶ *δριμύτης*, acutū & acré quiddam, propter eruditionem inibi occultam. ut, *Ἐμβασιχῆρος*, de auaro & raptore dici potest. *Πολύφημος*, de garrulo. *Υψιβόας*, de clamatore. *Κραυγασίδης*, de turbulento, aut seditioso. *Λιμόχαρις*, de bibone & ebrioso. *Πυλίων*, *πυλοβάτης*, *βαρβαροκόιτης*: de helluone, scortatore, & in sordibus peccatorum se uoluntate. *λαχοπίναξ*: de parasito. *Σιτοφάγος*, de diuite tenaci. *τυρογλίφος* & *κραμβοφάγος* de parco & sordido. *μεριδάριος*, de fure. *φυσίγραθος*, de inflato & superbo homine. ergo, non modò honestate sui, sed etiam utilitate & iucunditate, se nobis satis commendat hic libellus.

Quæ

Quæ cum omnia ita sese habeant, sicut dixi: & quilibet, cui saltem paulum ingenij est. Epilogus,
 hæc facile intelligat: spero, meum hoc factum à nemine prudente & bono improbatum
 iri: quod *τὸ βῆτραχομνομαχίαν* (præsertim hoc verno tempore, quo rursus proventus Ranarum
 erit: quas suo tempore, nobis iucundo, coaxantes libenter audiemus. mures sanè
 nō opramus: sed cum eis, tum per feles tum per muscipulas belligeramus) quod in quâ
τὸ βῆτραχομνομαχίαν explicare vobis decreuerim. Est enim & generatim Fabula & specia-
 tim ipsa *βῆτραχομνομαχία*, res laudabilis & accipiēda: quod & honestissimū scripti genus
 sit, & maximè vtile, & suavitatis plenum, & ad intelligendum recordandumq; facile:
 sicut ea omnia particulatim, pro mea tenui rerum intelligentia, & exigua orationis fa-
 cultate, si non satis declaravi: saltem declarandi voluntatem & conatum adhibui. Vestrum
